



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas IV. An Deitas qua talis, sit ratio formalis Quæ Fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

minus si velint fateri verum, concedent se id ipsum non concipere actu, quoties id credunt fide Divina.

RESPONSUM supra, quod id sufficiat concipi implicitè: quod nemo negabit se concipere, quotiescunque dicit Credo.

INSTAT Tertio. Credimus quandoque hominibus quamvis non cogitemus tunc, an sint veraces. Ergo similiter possumus credere Deo.

RESPONDETUR. Etiam in fide humana implicitè attingitur veracitas; Interrogatus enim quis quare credat? recurreret ad hoc, dicens, est dignus fide. Paritas etiam non tenet: quia sicut non raro evenit fidem humanam falli: ita non raro evenit, ut imprudenter præsteretur. Fides autem Divina quâ talis, imprudenter elici non potest; & cum sit summè infallibilis, necessariò debet servare omnia ad infallibilitatem requisita; quorum primum est, infallibilitas summa motivi.

DIFFICULTAS IV.

*An Deitas quâ talis sit ratio formalis
Que Fidei?*

SECUNDUM dicta de distinctione virtuali, indubiè in consortio aliorum attributorum, Deitas est motivum fidei: cum enim identificata sit realiter triplici illi veritati, idque cum exclusionem distinctionis virtualis, quod triplici illi veritati competit in sensu formali, competere debet Deitati in sensu reali. Sed eo iure etiam ubiquitas Dei, & cætera similia, specificant in sensu reali fidem; aliàs si non specificarent in sensu reali, distinguerentur virtualiter. Difficultas ergo procedit de Deitate quâ tali, præcisa ab attributis; an tamen ipsa sit formaliter motivum formale fidei.

DICENDUM quod non. Est Contra Ripalda citantem Cajetanum & Aureolum disp. 2. num. 101.

PROBATUR Primo. Pone per impossibile alium specie Deum, essentialiter mendacem; habere tamen esse à se aliasque perfectiones, per impossibile. Vel si mavis, pone per impossibile potentem mentiri: vel prætentem Deum facere per impossibile decretum, non nisi de mentiendo & fallendo: constareque creaturæ intellectuali de exercitio mendacitatis; hoc posito, formatur disjunctiva. Vel posset adhuc illa excellentia præcisè Deitatis, movere ad assensum; vel non posset. Si posset. Ergo intellectus non necessariò assentitur vero, sciens enim Deum mentiri, adeoque oppositum esse verum ei, quod dicit; nihilominus diceret esse verum: assensus enim est æquivalenter dictio importans *ita est, vel Verum est*. Rursus si posset tunc intellectus assentiri, in assensu suo admitteret duo contradictoria: admittere enim in assensu est verum, quia non est verum, est admittere in assensu duo contradictoria. Sed assentiri sciendo

quod mendacium, aut potius falsum sit, est admittere in assensu, est verum, quia non est verum. Ergo assentiri sciendo, quod mendacium seu falsum sit, est admittere in assensu duo contradictoria. Minor probatur quia assensus ut dixi est quædam dictio importans *verum est*, assentiri autem: quia mendacium seu falsum est, est assentiri, quia non est verum. Ergo assentiri sciendo quod mendacium sit, est admittere in assensu, est verum quia non est verum. Quod si residua illa excellentia Deitatis non posset movere ad assensum. Ergo neque nunc movere formaliter potest, quâ talis. Probatur Consequentia quia utrobique residuum, seclusa veridicitate est idem, nempe Deitas. Ergo si semel movere non potest; nec alias movebit, bene enim arguo. Veridicitas si semel non est nata habere assensum; quantum ex illa, semper nata est non habere; propter principium. Idem manens idem, semper est & facit idem: Ratio item formalis dum est, semper est ratio formalis: quia esse rationem formalem, non est quid distinctum, ab ipsamet illius entitate.

RESPONDEBIS Primo. Argumentum esse à faciliiori ad difficilius via affirmationis. Nam habere prædicatum essentiale vel ex adjuncto fallendi, & tamen mereri assensum difficilius est, quàm præcedere à veridicitate & tamen mereri assensum.

CONTRA. Tum quia non est à faciliiori ad difficilius, sed in eodem argumentum: quia non comparatur præciscendia veridicitatis, ad conjunctionem cum falsidicitate, sed utrobique spectatur eadem remanentia Deitatis. Cur ergo utrobique non merebitur assensum. Sicut si albedo est ratio formalis dealbandi, etiam juncta nigredini, est ratio formalis dealbandi. Tum quia Conjunctio non veridicitatis cum Deitate, fundat ut Deitas mereatur per te dissensum, quod majus est. Ergo etiam separatio veridicitatis per intentionem saltem, fundabit, nec illi consentiatur positivè, quod minus est. Licet autem est argumentari ad minus, via affirmationis in eadem linea. Tum quia Conjunctio non veridicitatis, expellit physicè veridicitatem; mereturque dissensum. Ergo & præcisio veridicitatis, quæ illam expellit intentionaliter, saltem fundabit, ne mereatur assensum.

RESPONDEBIS Secundo ex principiis Ripalda, Deitatem non utcumque, sed ut est exigens opponi cuicumque imperfectioni, adeoque mendacio, esse formale fidei.

CONTRA. Tum quia jam & sumeretur Deitas præcisè ut supponitur, & non præcisè, sed sub formalitate opposita falso; imò sumeretur pro eodem, ac veritas prima in essendo. Tum quia videtur implicare fides, quæ habeat pro motivo, Quia dicitur verum: videtur enim implicare amor, qui amet, quia non est

(c) 2

malum,

malum, & non possit amare, quia est bonum. Videtur item implicare intellectus, non potens quidem assentiri falso, impotens tamen assentiri vero. Ergo etiam ex proportionem, impossibilis est fides, quæ tantum innitatur huic principio, quod Deus non possit dicere falsum & mentiri, non autem, quod dicat verum. Sed quidquid fit de illius possibilitate saltem præfens fides non debet resolvi in motivum: quia Deus non potest dicere falsum; sed in motivum: quia verum est. Siquidem etiam Theologica charitas, non resolvitur in hoc, quod in Deo nulla sit malitia, sed in positivum, nempe ejus bonitatem in se. Tum quia Si Deus non tantum est exclusio omnis imperfectionis, sed inclusio omnis perfectionis; imò est exclusio omnis imperfectionis, inclusione omnis perfectionis. Ergo si sumitur Deitas, prout Deitas est; & si sumitur cum exclusione omnis imperfectionis, sumitur cum inclusione omnis perfectionis, adeoque & veridicitatis. Ergo non præcisè ab illa, formalisabit fidem, ut voluit Ripalda. Tum quia Deitas quæ Deitas est, non constituitur exclusione omnis imperfectionis, sed datur aliquis positivus ejusdem conceptus, supra quem fundantur illæ negationes: imò nec inclusione omnis perfectionis constituitur, ut dictum in prima parte. Ergo si Deitas quæ Deitas est, est motivum formale fidei, non est motivum quæ exclusivè imperfectionis mendacii, & tamen Ripalda ponit Deitatem quæ Deitatem, pro hoc formali. Tum quia sicut partimur has formalitates: non dicere falsum; & formalitatem: dicere verum; ita partiri possumus formalitatem non discredentis & formalitatem credentis, proportionandoque prædicta, non alia prodibit proportio, quam ut ei, qui non potest falsum dicere, non discreddatur, ei autem, qui non nisi verum, & verè dicit, credatur positivè: Quia autem nos Divino testimonio non tantum non discredimus, sed positivè credimus, fit ut fides quam habemus, non illi negativo, Non mentiri: seu Non dicere falsum: sed positivæ veritati innitatur.

PROBATUR Secundò. Ratio formalis unius non potest contineri in ratione formali alterius. Sed si præter veridicitatem, verinoscivitatem, veriesentialitatem, esset Deitas quæ talis, motivum formale fidei, ratio formalis unius, contineretur in ratione formali alterius. Ergo Deitas quæ talis, non est motivum formale fidei. Major probatur. Inductione: quia ratio formalis veridicitatis non est ratio formalis verinoscivitatis; ratio formalis albedinis non est ratio formalis dulcedinis. Quod ipsum in hoc fundatur: quia ratio formalis unius, non aliud est, nisi definitivum prædicatum hujus formæ, vel formalitatis, sed definitio unius non est definitio alterius, nisi pullulet chymæra. Ergo. Minor probatur: quia rationem formalem fidei illæ veritate præstant seipsis. Ergo si illam ra-

tionem præstat Deitas quæ talis seipsa, hoc ipso ratio formalis unius, erit ratio formalis alterius.

RESPONDEBIS. Quod præstat diversam specierationem formalem fidei Deitas, potest autem una ratio formalis, præstare diversam speciei rationem formalem, licet sub diverso genere proximo, contentam; unde etiam eadem Conclusio potest ex diversis specie motivis inferri.

CONTRA. Quia & præstaret tunc Deitas diversam speciem rationem formalem fidei ut supponitur, & non præstaret: quia si nihil obstat non debemus intra eundem habitum adæquatum sumptum, diversam speciem in adæquata fidem ponere, ut si nihil obstat, teneat illa paritas: ita fides, unus Deus. Quamvis enim baptismus sit triplex, non erit necesse ponere triplicem fidem, quia de baptismo multiplici modo capiendū, datur doctrina Patrum, exigebatque necessitas auferendi originalis; cui commodè uno baptismi modo, satisfieri non potuisset. Sed nec doctrina Patrum procedit de multiplici specie fidei; neque est ulla necessitas ejus habendæ: & infidelitas sufficienter tollitur, per unum assensum: quia DEUS dicit.

PROBATUR Tertiò. Tum quia Si motivum fidei esset ipsa Deitas, quæ assentiens propter Deitatem, vel potest dicere. Assentior quia Deitas dicit; vel tantum assentior quia Deus dicit; vel tantum assentior quia Deitas est. Si hoc secundum. Ergo non ostendis per quod conjungatur ad testandum Deus, cum hac potius parte Contradictionis. v. g. Incarnatio est, hoc enim conjunctivum per ordinem ad nos, non aliud cogitari potest, nisi dictio. Deinde etiam Contradictoria, & non revelata credere possemus, si sufficit motivum quia Deus est quia tam comparatè ad revelata, quam non revelata, vera est propositio; Deitas est. Rursus de hoc ipso: Deitas est, quæterere restat? Unde de illo constat; & quidem certò & infallibiliter non recurrendo ad veritatem primam. Si autem credas propter Deitatem dicentem. Ergo jam non præcisè sumitur Deitas, sed prout dicens. De hoc ipso Deo dicente quæro, an assentiaris Deo dicenti; quia verum dicit, vel quia falsum dicit, vel simpliciter quia dicit: non primum; quia sic non præscinderet Deitas à veritate prima in dicendo; quod intendit Ripalda. Non secundum: quia cognito mendacio, nemini assentiri potest. Non ultimum quia ly dicit abstrahens à vero & falso, abstrahit ab assensu & dissensu, & est quid commune ad assensum & dissensum. Ergo recurrere debes ad DEUM verè dicentem, adeoque moventem fidem non præcindendo à veritate in dicendo. Tum quia & præscinderet Deitas movens ad fidem à veridicitate ut supponitur, & non præscinderet quæ

vel sumitur Deitas prout est radix veritatis vel non sumitur prout est radix. Si sumitur prout est radix. Ergo non præcisè ut Deitas est, sed sub formali ratione veridicitatis, formalis fides. Si autem non sumitur prout est radix veritatis, non poteris ostendere, quo modo opponatur mendacio, quod tamen requirit Ripalda: hæc enim oppositio mendacio, est vel ratione formalis, vel ratione radicalis veritatis: sicut nec oppositio in homine ad irrationale alia intelligi potest, nisi formalis, vel radicalis rationalitas. Tum quia vel dantur aliquæ rationes in Deo, non connexæ cum fide; vel omnes sunt connexæ. Si aliquæ non connexæ ergo nec Deitas præscindens à veridicitate erit ratio connexa: nec enim stat particularis pro illa ratio, nisi recurratur ad prædicatum veritatis, ad quod non vult recurrere Ripalda. Si autem omnes sunt connexæ. Ergo ex ratione quia Deus est ubique, possum nunc credere, Antichristum damnandum.

OBJICIT PRIMO Ripalda. Excellentia Deitatis seipsa immediatè confert Auctoritatem suis testimoniis, cohibet enim omnem irreverentiam; Dissensus autem testimonio Dei, est magna irreverentia.

RESPONDETUR. Excellentiam Deitatis sumptam prout est à parte rei, conferre dignitatem suis testimoniis, sed non prout subest nostris præcisionibus. Unde casu quo Deus præscindat à veridicitate, & non præscindat à Deitate, adhuc impendendus erit illi omnis debitus cultus: sed tunc creditio non erit debita: quia carebit suo formali. Neque tunc non creditio, erit irreverentia, quia nec erit debita creditio. Sicut non esset irreverentia, non elicere actum creditionis, si Deus retenta sua excellentia, prohiberet assensum fidei fieri.

INSTAT IDEM. Demus Beatos esse impeccabiles & scientia infusa præditos, & quidem ita repugnante mendacio essentialiter, quam repugnet mendacium Deo nihilominus testimonium DEI dignius erit, certe non ob aliud, quam ob formalisantem Deitatem.

RESPONDETUR. Fore dignius, ob veritatem primam in essendo, quæ competit DEO.

OBJICIT SECUNDO. Sacra Auctoritas refert fidem nostram in Deum sine memoria attributorum.

RESPONDETUR. Fidem tribui Deo Auctori quia ille in re est veritas prima. Nec enim Auctoritas Sacra dicit quidquam, de præcisione Deitatis.

OBJICIT TERTIO Eo ipso, quod DEUS apprehendatur testari quidpiam, apprehendatur illud esse verum; quamvis Deus non apprehendatur verax & sapiens; at eo ipso quia Deus apprehenditur testari verum, potest Deo credi. Ergo potest illi credi seorsum à veracitate & sapientia. Major probatur: sufficit apprehendi Divinitatem

ab omni attributo distinctam, ut ab ea, ratione sui immediatè, removeatur omnis imperfectio, quia Deitas seipsa repugnat omni imperfectioni. Unde etiam Christi Humanitas, eo ipso, quod apprehendatur unita Divinitati, immediatè apprehenditur libera ab omni peccato, & errore.

RESPONDETUR. Debere semper apprehendi Deum ut veracem & sapientem radicaliter, quamvis non apprehendatur verax & sapiens formaliter. Unde etiam non potest apprehendi Divinitas removens omnem imperfectiorem, etiam mendacii nisi in quantum est radix veritatis. Licet possit non apprehendi cum formali veritate: nec enim est ratio opponendi se omni imperfectiioni; nisi ratione vel formalis vel radicalis perfectionis. Quod si tunc apprehendatur Deus, prout est radix veritatis, hoc ipso apprehendatur tanquam veritas in essendo; consequenter non præcisè ab illa, formalisabit fidem.

Continuatur solutio Objectionum.

INSTAT PRIMO. Decernat Deus non conferre suum concursum Petro ad loquendum quidquam falsum; hoc decreto removel Deus à Petro imperfectiorem testimonii falsi, tamen non eo ipso confert perfectionem veracitatis & sapientiæ, in iis quæ loquitur, nam cum eo decreto potest componi Petrum esse locutum verum & esse mendacem; quoniam quod loquitur licet re ipsa sit verum, & propterea Deus concursus det ad loquendum, tamen loquitur, contra iudicium mentis erroneum. Ergo etiam possumus apprehendere Deitatem removens singulas imperfectiões, quin apprehendamus perfectiones attributales Dei.

RESPONSUM jam est. Posse nos apprehendere Deitatem removens singulas imperfectiões, quin apprehendamus perfectiones attributales formaliter sumptas. Sed non possumus removens apprehendere, quin apprehendamus perfectiones attributales radicaliter sumptas: ob rationem supra adlatam. Deinde Consequentia non tenet; quia non est cogitabile, in quid resolvi possit illa veridicitas Petri, quam in concursum Dei, & tale Decretum, adeoque in aliquid extrinsecum dicentis; perfectio autem illa veridicitatis Divinæ, vel potius non dictionis falsi, non potest in aliquid extrinsecum resolvi; & cum non resolvatur in veritatem formaliter sumptam, debet resolvi in radicaliter sumptam. Si autem radicaliter sumpta veritas formalisabit fidem. Ergo non præcisè Deitas ut sic, quod voluit Ripalda.

INSTAT SECUNDO. Gratia Justificans est essentialiter repugnans peccato, atque etiam odio Dei; tamen non apprehendimus gratiam, esse charitatem, licet iisdem imperfectiõibus repugnet

pugnet. Ergo etiam possumus apprehendere Deitatem, cum oppositione ad mendacium, licet præcisam ab attributis veritatis.

RESPONDETUR. In nostris principiis identificantibus gratiam charitati, falsum est Antecedens. Deinde ex dictis possumus illam Oppositionem Dei ad mendacium cogitare sine attributis veritatis formaliter sumptæ, modo sumatur radicaliter: Si enim non apprehenditur cum radicali veritate, nullum dabitur fundamentum opponendi se mendacio.

INSTAT Tertio. Uni & eidem imperfecti-
oni possunt opponi plures perfectiones, ut ei-
dem mendacio, Visio Beata, Unio hypostatica,
affectus veritatis. Ergo & in remotione men-
dacii, non continetur formaliter conceptus ve-
racitatis.

RESPONDETUR. In remotione mendacii non
contineri formaliter conceptum veracitatis for-
malis, licet contineatur ex dictis, conceptus ve-
racitatis radicalis. Universaliter autem uni
imperfecti-
oni opponuntur plures perfectiones,
quandò in illis dantur prædicata contraria illi
imperfecti-
oni in eodem genere, nec tantum
disparatè se habentia: nam disparatè se habere,
est præscindere ab oppositione, vel non oppo-
sitione, ad illam imperfectionem. Porro men-
dacio in eodem genere, non opponitur nisi ve-
ritas formalis aut radicalis, sine qua radicali exi-
gentia, Deitas comparata ad mendacium, non
nisi disparatè & præcisivè habebit se.

INSTAT Quarto. Testari falsum potest
apprehendi vel conceptu inadæquato, ut imper-
fectio est, vel conceptu adæquato, ut est talis
imperfectio, hinc quamvis Divinitas repugnans
falsitati sui testimonii, quatenus talis imperfectio
est, non possit apprehendi absque veracitate &
sapientia; tamen repugnans falsitati testimonii,
quatenus imperfectio est, potest à veracitate &
sapientia præscindi: quia Deus non opponitur
omni imperfectioni ratione veracitatis & sapi-
entiae, sed ratione perfectionis proprie Deita-
tis.

RESPONDETUR. Quando apprehenditur Dei-
tas prout repugnans imperfectioni ut sic, appre-
henditur prout est radix perfectionum ut sic, ad
quam radicem, tanquam quid positivum, adeo-
que prius, sequitur negatio imperfectionis. Si
autem apprehenditur prout est, ut sic radix per-
fectionum, adeoque prout est radix veritatis,
non apprehenditur præcisè Deitas: sed sub for-
malitate radicis, sine qua præcisivè se habebit,
ad opponi vel non opponi imperfectionibus.

INSTAT Quinto Idem. Veritas & sapientia
radicalis, non est conceptus objectivus, distin-
ctus à conceptu Deitatis: quia Deitas suo
conceptu objectivo, est radix omnium attrib-
utorum.

RESPONDETUR. Veritatem radicalem, non
esse distinctum actu nemine cogitante conce-

prum à Deitate, esse tamen distinguibilem,
quia omnia illa præscindi possunt, quæ non se
habent ut definitum & definitio, habentque di-
versa connotata. Veritas autem, non definitur
per esse radicem. Confundendo autem
conceptum Deitatis cum conceptu radicis at-
tributorum v. g. veritatis, & sapientiae sumetur
tunc Deitas, pro veritate in essendo.

OBJICIT Quarto. Cum assensu DEI testi-
ficantis & moventis nostram fidem, componitur
defectus assensus rei testificatæ. Jam autem si
Deus testificans includeret veracitatem & sapi-
entiam, non posset iste dissensus componi: quia
ex apprehensione terminorum, evidens est, ve-
rum esse, quicquid à sumè veraci dicitur. Ma-
ior autem probatur exemplo Abraham, Genes.
19. exemplo S. Petri Matth. 14. Rursus discre-
dentes Deo, possunt credere Deum esse men-
dacem ex illo Joh. 1, 5. Quod non potest fieri
nisi dividatur assensus Dei testificantis, ab assen-
su rei testificatæ: nam, mendax minimè credi-
tur, qui non creditur testatur aliquid contra
mentem. Denique viri Spirituales consulunt
fidelibus, ut se præmuniant assensu perfecto Dei
testificantis. Ergo apparet sine assensu Dei
testificantis, tardari assensum rei testificatæ, ac
nisi alter ab altero esset separabilis, non posset al-
ter in alterum eam motionem conferre. Ergo
separabilis est.

RESPONDETUR. Si apprehendatur hoc
Deum dicere, qui est veritas radicalis, evidens
est Deum non posse mentiri, atque si appren-
datur formaliter verax. Directè ad argumen-
tum dicitur cum assensu dicto, componi dissen-
sum rei testificatæ, casu quo non constet per mo-
tiva credibilitatis veritatem esse veritatem pri-
mam, circa hoc objectum, secus si id constet.
Abraham solum deposcebat in confirmatio-
nem promissi aliquod signum, ut illo tanquam
motivo credibilitatis evidentiori, roboraretur,
vel suam tenuitatem profitebatur dicens: Unde
scire possum quod possessurus sim terram. Sed
inde non sequitur, quòd rei à Deo testificatæ, &
quam noverat testificari Deum, assensum non
præbuerit. Dubitatio S. Petri non erat contra
fidem, aliàs debuisset tunc amisisse habitum fi-
dei, quod nemo dicit. Sed illa dubitatio erat
contra virtutem spei, non ergo inde sequitur S.
Petrum rei testificatæ non præbuisse assensum.
Discredentes Deo æquivalenter dicuntur face-
re Deum mendacem. Quia si illis evidenter
moraliter constat, hoc Deum dixisse, & nolint
assentiri, debent saltem interpretativè cen-
sere, negantes Dei veridicitatem. Concedo præ-
munitionem illam de quà Argumentum, esse
bonam, separarique assensum rei testificatæ à
Deo, ab assensu revelationis, si non adsint mo-
tiva credibilitatis, secus si adsint. Sed inde non
sequitur, solà Deitate præcisè formaliter
fidem.

Objic-

OBJICITUR Quinto. Fides potest esse imperfecta, quæ imperfectio in eo erit, quia proponetur solum probabilis connexio, DEI loquentis verè, cum objecto, qualis est apprehensio Deitatis, ut ab attributis distincta: in qua, non elucet manifesta conjunctio Deitatis, sumptæ pro radice veridicitatis, cum objecto testificato.

RESPONDETUR. Est manifesta conjunctio Deitatis, sumptæ pro radice veridicitatis, cum objecto testificato: non enim probabile est, sed certum, veritatem radicalem seu in essendo, mentiri non posse. Imperfecta ergo illa fides non in moventem radicalem veritatem, sed in multa in contra occurrentia rejici debet. An autem concedi possint Actus fidei infirmi, de hoc infra.

ADDO hîc, qui non tenent Præcisiones objectivas, per illos Deitatem etiam independentem à formalitate radicalis veritatis formalisare & quidem formaliter fidem: quia hæc non præscinditur; & sub aliis formalitatibus respondet Deitas: ad eum modum, quo per illos peccatum factum contra naturam rationalem, est formaliter Theologicum, quia sub natura rationali, formaliter continetur DEUS.

DIFFICULTAS V.

An Ratio Formalis Quæ Fidei debeat esse Excedens?

MEMINIT aliquoties S. Thomas objecti Fidei cum addito excedentis. Dicit enim S. Thom. Prima Secundæ q. 62. art. 2. *Objectum inquit Theologicarum virtutum* (inter quas est fides) *est ipse Deus, qui est omnium rerum finis, prout nostra rationis cognitionem excedit*, & ad 2. ibidem Theologicam virtutem esse circa ea, secundum quod rationem humanam excedunt & art. 3. ad 2. *habere inquit fidem & spem, de his quæ sunt supra facultatem naturæ humanæ, excedit omnem virtutem homini proportionalem*. Ex quibus verbis pullulat quaestio: An ratio formalis Quæ fidei, (quamquam id alii etiam ad materiale extendunt,) debeat, habere rationem Excedentis.

EXPLICANT. Hanc veritatem excedentem sic. Omnis certitudo ac veritas cognitionis creatæ, fundatur in veritate prima DEI; sicut enim esse creatum, est participatio Divini esse, sic etiam quæ accidunt Creaturis, sunt participationes attributorum Dei: v. g. Humanitas est participatio Divinitatis; humanitatis virtutes, sunt participationes potentiarum Divinarum; humanitatis duratio, est participatio æternitatis Divinæ. Ergo etiam & certitudo & infallibilitas assensus creaturæ, fundabitur in veritate prima. Quia autem quædam infallibilitas ac certitudo cognitionis creaturæ, est debita creaturæ; quædam autem est supra existentiam illius; ideo etiam duplicem, secundum modum nostrum

cognoscendi, veritatem in DEO apprehendimus; unum quidem, quæ sit principium infallibilitatis super excedentis omne debitum Creaturæ, altera quæ principiat debitam certitudinem, saltem alicui possibili Creaturæ. Et hujus quidem certitudinis principium est, tribuendo vires cognoscitivas debitas creaturis; objectis verè vim motivam naturalem potentiarum cognoscitivarum, & præstando concursum naturalem. Si autem præstet vires supernaturales & concursum supernaturalem; habebit DEUS rationem veritatis, vel dicentis supernaturalis. Ut de hac doctrina sic explicata statuatur.

DICENDUM est. Licet ad actum fidei excedentem, concurrat veritas prima formalisativa fidei Theologica, ponere tamen motivum formale veritatem primam prout excedentem; ut ratio excedentis teneat se penes motivum, nulla est necessitas. Prima pars Conclusionis: Nempe quod veritas prima concurrat ad actum fidei excedentem alibi probatur: quia scilicet actus excedens, est actus supernaturalis ut explicans supponit, & ostendunt dicta de supernaturalitate. Sed veritas prima, concurrat ad actum fidei supernaturalem. Ergo concurrat ad excedentem. Secunda pars.

PROBATUR Primo quia S. Thom. hîc quaest. 1. art. 1. discurrens de objecto formali fidei, ponit veritatem primam sine ullo addito.

PROBATUR Secundo. Quia est inexplicabile, posito quod ista excedentia teneat se à parte motivi formalis, ad quidnam deserviat, idque necessariò: nam non deservit ad efficiendam producendamque rationem actus excedentis in fide: quia motiva formalia, non producunt physicè actus, sed in genere causæ formalis extrinsecæ: productioque illorum, spectat ad intellectum & habitum supernaturalem. Non item deservit ad rationem ipsam salvandam motivi requisiti ad actum supernaturalem: quia motivum formale, & objectum formale sunt idem; diximus autem in materia de Ente supernaturali, ab objectis, non desumi supernaturalitatem. Non est etiam necesse ponere veritatem primam excedentem pro motivo, ut sic fiat actus supernaturalis ex ordine suo infallibilis: quia Supernaturalitas, non est infallibilis ex suo ordine: nihil enim repugnat, dari probabilitatem supernaturalem; & opinionem supernaturalem. Si autem per ly, ex ordine suo infallibilis, intelligatur; quia scilicet supposito quod DEO dicenti innitatur, qui est summa veritas, summam infallibilitatem habebit. Sed ad hoc etiam ponere veritatem primam excedentem, pro motivo formali, impertinens est. Ratio quia etiam si aliquid diceret Deus, prout est veritas prima non excedens, adhuc illi infallibiliter assentiri possemus: quia tam excedens quam non excedens infallibilitas Divina, ab eodem